







8981

1772, 23.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
QVATENVS  
SENECTVS LIBERET A  
CONTVMACIA, SI CITATVS  
NON COMPAREAT

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG,

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXIII. SEPT. ANNO MDCCCLXXII.

DEFENDET

GVILLHELMVS FRIDERICVS CHRISTIANVS

SVSSE

OLBERNAV.

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.



QUESTIO

IVRIS CONTROVERSI

QUAESTIO

SENECTVS LIBERTVS  
CONTVMACIA SI CITATVS  
NON COMPAREAT

QVI

AVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRÆSIDI

D. CHRISTIANO HENR. BREYKING  
PROFESSORIS PVBLCI ORDINIS IVR NAT ET CIVIT  
ET SOCIETATIS LITTERÆ DVORVM  
PAGIS

IN AVDIOTORIO PETRINO

DIE KENNISSEN T. ANNO CIVITATIS

BRUNNEN

WILHELMVS FRIEDRICHVS CHRISTIANVS  
SVSSER


ORDINARI

LIBRARI

LITTERÆ AVSTRICÆ







QVATENVVS  
SENECTVS LIBERET A CON-  
TVMACIA, SI CITATVS NON COM-  
PAREAT.



§. I.

Quamquam Decemviri lege sua ei, qui in  
ius vocatus erat, necessitatem statim  
cum vocante ad tribunal eundi, tamen  
et morbo et senectuti id quoque tri-  
buerant beneficium, vt ab eundi neces-  
sitate liberarent, potius vocanti imponerent, quo, qui  
vel morbo vel senectute laboraret sequi posset, vt iumen-  
tum daret. Ita lex: **SI MORBVS AEVITAS VE-  
VITIVM ESCIT QVI IN IVS VOCABIT  
IUMENTVM DATO, SI NOLET, AR-  
CERAM NE STERNITO.** Excusabat ita-  
que *senectus* ab eundo, non tamen coram tribunali com-  
parendi necessitatem remittebat, nisi alter iumentum dare  
recusaret. Sed alia quaestio est, an, si ab eundo se liberaf-  
set datis vindicibus idoneis, aliusque dies, quo coram tri-  
bunali comparandum esset, status fuisset, an deserto vadi-  
monio.





monio excusari posset senectute, ita, vt ne fideiussores quidem conueniri possent, Sane inter eas causas, quae a vadimonio deserto excusant, quasque reliquiae Legum XII Tabularum apud *Iac. GOTHOFREDVM Tab. II.* determinant, aetnitas non connumeratur, sed MORBUS SONTICVS, VOTVM, ABSENTIA REIPUBLICAE ERGO et STATUS DIES CVM HOSTE tantum referuntur iustae causae a vadimonio deserto excusandi.

§. II.

Sed an haec solae excusandi causae fuerint, valde dubito, quippe praeter has adhuc alias Icti referunt, quae nisi ex ipsa lege sint, Edicto tamen aut benigna legum interpretatione admittebantur. Sic apud *VLPIANVM* in *L. 2. §. 1. ff. Si quis caut. iud. sist. caus. fact. non obtemp.* excusatur, qui munere municipali sine dolo suo malo impediatur, quo minus comparere posset. Apud eundem *c. l. §. 2.* excusatur, qui desideratus ad testimonium dicendum ad iudicium occurrere non poterat. Amplius apud eundem *VLPIANVM. c. l. §. 3. et 7. tempestas visque fluminis iusta excusationis causa allegatur.* Porro *LABEO c. l. §. 4.* exceptionem dandam censet mulieri grauidae et *§. 9. c. l. si quis a magistratu sine dolo malo retentus sit.* Dein idem *VLPIANVS L. 4. ff. eod.* excusat reos accusatos criminis capitalis eosque qui in custodia militari detinebantur. Nullo tamen capite legum senectutem relaxatam inuenio inter eas causas, quae vadimonio deserto excusationem praestant.

§. III.

Quid ergo dicamus, maxime cum autoritas Decemviro-  
rum morbum et senectutem coniuxerat in dando iumento, morbum admittat tanquam excusationem iustam deserto vadimonio legum autoritas, an et senectutem admittamus quoque ex beneuola interpretatione, maxime cum, vt adfirmat *TERENTIUS, Senectus ipsa morbus est?* Nihilominus  
nem



men minus senectutem ex romano iure iustam haud pu-  
 tem excusandi causam a vadimonio deserto, quippe ex eo,  
 quod iumentum seni dandum fuerit, potius necessitatem  
 subeundi vadimonii concluderem. Verum quidem est,  
 morbum cum senectute coniunxisse Decemuiros, sed eum  
 tantum, qui temporale vitium erat, neque lecto adfixum  
 tenebat, vel cuiusque rei agenda impedimento esset,  
 quem IULIANVS in *L. 60. π. de re iudic. Sonticum vocauerat.*  
 Hunc enim morbum iustam tantum efficit excusationem,  
 si vadimonium deseruisset. Neque iumentum dandum  
 aliquo argumento esse potest. Nam cum antiquissimis  
 temporibus procuratores, qui pro aliis comparerent non  
 admitterentur, nisi pro libertate, pro republica atque pro  
 pupillis atque demum pro absentibus reipublicae causa,  
 ipsis litigantibus, in quas legum actiones seu formulae il-  
 lae solemnes conceptae erant, comparandum erat. Ne ita-  
 que senibus superesset excusatio, si vocatus in ius, ire haud  
 posset, iumentum dari volebant, quo posset ad tribunal ve-  
 nire. Hinc et seni comparandi necessitas imposita videtur.

§. IV.

Sed quid forensi iure statuendum sit, videamus. Re-  
 cepit et Germaniae forum iustas excusationes a comparen-  
 di necessitate legitimaque dixit impedimenta; sed cum ne-  
 que in ius vocatio nostris placuerit, neque non eundi va-  
 des et vindices dandi sint, ipsius vadimonii desertio foro  
 nostro haud conuenit, hinc nec excusationum a vadimo-  
 nio deserto causas habemus iustas. Applicauit tamen iu-  
 risprudentia fori nostri ad nostra eremodicia et legitimas  
 ad iudicium a iudice factas vocationes, quibus si quis com-  
 parendo non paruerit, is qui contumax fuerat, quo se ab  
 imposita contumaciae poena liberaret, vtitur his ipsis ex-  
 cusationibus, quibus vtebantur romani deserto vadimonio.

Venit adeo ex hac iuris applicatione mos ille fori olim, quo



eum, qui remodicium contraxerat, vel vocatus a iudice, non comparuerat, non statim poena contumaciae adficerent, sed tantum in legitima impedimenta condemnarent. Volebant hoc ipso, vt eas iudici exponeret atque probaret causas, propter quas citatus non comparuisset, atque tunc deum condemnabant, si nullas excusandi causas allegare vel allegatas probare haud posset. Haec vero legitima impedimenta illa ipsa erant, quae iurisprudencia romana in deserto vadimonio approbauerat. Adfirmat ergo, excusare morbum, tempestatem, funus domesticum, quaeque supra enarrauimus.

§. V.

At Electoralia nouissima iura hanc quidem in legitima impedimenta condemnationem improbarant paucis exceptis causis. Ita enim statuit Elector in ORDINAT. RECOGN. PROCESS. SAXON. ad *tit. X. §. 2.* Und wie hierdurch dasjenige, was sonst in der Proceßordnung h. T. von der Bertheilung in die Ehehaft und behelfliche Wiederrede enthalten, von selbst cessiret; also wollen wir solches, da es ohnedem öfters zu großem Zeitverlust und Aufwand gereichet, außer was den bey unsern Ober- und Consistoriis gewöhnlichen Defertions, ingleichen den Achtsproceß betrifft, im übrigen hiermit gänzlich aufgehoben haben. Nunquam tamen hoc ipsum ius legitima impedimenta seu legibus illas approbatas excusandi causas sustulit, imo licet, contumax condemnatus fuerit, si remedio interposito legitimam illam excusandi causam postea probet, nullum dubium est, quin a poena contumaciae immunis pronuntietur.

§. VI.

Cum itaque legitimorum impedimentorum apud nos vsus sit perfectus, iam videamus, an *senectus* inter legitima impedimenta referri possit. Equidem concedam lege nequidquam definitum esse, tamen non omnino ausim adfirmare,



mare, nunquam senectutem iustam esse posse excusandi causam. Quod si enim, quae senectutis maxime decrepidae sunt mala et incommoda propius intuemur, quaque titubantes incedere soleant baculis innixi quasi ad infantiam reduces, quare bis pueri senes dicuntur fieri; nullum super esse mihi videtur dubium, quin decrepida illa aetas possit interdum liberare, si contumax factus fuerit senex. At nollem tamen propterea praetextu senectutis impunitatem concedere maleuolis contumacibus, quamuis senibus, cum improbis nunquam legum beneficia soleant tribui. Magis ergo huic regulae limites arctiores scribantur necesse est, ne peccandi licentiam defendere videamur.

§. VII.

Iam vero, cum in omnibus ciuilibus causis procuratoris officium haud improbetur, facillique negotio sibi senex procuratorem possit constituere, qui ipsius nomine compareat atque, quae in iudicio peragenda sint, peragat, vix est, vt in tantum sola senilis aetas excusationem praebet, si procuratorem constituere sibi neglexerit. At quid? Si tanta sit senectus, quae rerum suarum curandarum agendarumue incapacem efficiat, utpote si memoria destituatur, vel, vt supra monuimus, iterum puer factus sit, an tunc, etiamsi neglexerit sibi constituere procuratorem, nihilominus eundem contumacem habebimus? Ego quidem non putarem. Sicuti enim morbus ex ea causa excusationem a poena contumaciae praestat, quod per eum aegrotans suarum rerum curandarum impar habeatur, quidni et ea ipsa ratio seni auxilio sit, si tantae imbecillitatis atque infirmitatis sit senium, vt quid agat, prope nesciat. Et quamuis leges senectutem non referant inter excusationum a contumacia causas, tamen magis per exempla videntur causas docere, vt vtique, vbi eadem ratio adsit, aliae causae admitti possint, etiam legibus non enarratae. Quare rectus mihi videtur esse

BOEHMERVS



RVS in *Doctr. ff. L. II. tit. XI. §. 7.* putans, totam doctrinam de legitimis impedimentis arbitrio prudentis iudicis committendam esse. Quapropter, si non comparuerit senex citatus, isque vitio senectutis contumax factus, si demonstrare possit, tantae esse infirmitatis, ut de rebus suis sollicitus esse difficulter possit, recte excusabitur a iudice a poena contumaciae.

§. VIII.

Sed superest alia adhuc quaestio dubia. Cum ex sapienti consilio Legislatoris in Saxonia praescriptum sit, ut litigantes partes ita citentur sub poena quinque thalerorum, ut ipsi praesentes in termino compareant, non vero per procuratorem; iuris est, si praesens non compareat, sed per procuratorem, non quidem contumax erit condemnandus in ipsa causa, ut v. c. citatus sub poena confessi et conuicti, propterea confessus et conuictus haberi possit; non euitabit tamen poenam quinque thalerorum, nisi iustam allegare possit absentiae suae causam. Iam quaeritur; an senex absens aetate sua se excusare possit ab poena quinque thalerorum? Et putem non ex sola senectute, sed ex corporis habitu simul spectato posse senem excusari. Quod si enim vegeta sit aetas senilis, nihil est, quod excuset. At si probari possit, senem debilitatum esse corpore, ut non sine summa molestia pro tribunali comparere possit, omnino a poena illa absentiae excusabitur, quippe nihil obstat, quominus senectutem, quae ipsa morbus est, cum morbo comparemus. Et quamuis sexagenaria aetas senectutis initium videatur, maxime si Legis Pappiae Poppaeae rationem habemus, tamen non annorum sola ratio excusabit, sed corporis per senium confecti habitus in excusationis causa maxime respiciendus videtur.



Leipzig, Diss., 1772 A-R




f  
TA-70L

Nur 23. Stk. bisher versch.









8981

1772, 23.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
QVATENVS  
SENECTVS LIBERET A  
CONTVMACIA, SI CITATVS  
NON COMPAREAT

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXIII. SEPT. ANNO MDCCCLXXII.

DEFENDET  
GVILLHELMVS FRIDERICVS CHRISTIANVS  
SÜSSE  
OLBERNAV.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPPFIIS.